Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

ingressus offendebatur. distendere genua retorta cogebatur. Tali scandens conamine, ad genitricis peruenit altare. In quo munusculum oblaturus, primo herere, dein altiora petere manibus cepit, quousque uota peregit. Hoc igitur modo animal pronum remansit erectum, et ex informi homine integrum pater recepit filium. Crederes matrem domini hoc contulisse, si fides simplicior sanitati concordaret. Sed per eam et cum ea id Chunradum potuisse nulli dubium, ac per hoc non incongrue utrique ascribitur quod hinc spe, hinc re egens consequitur. Uiduam mulierem quondam plantis sulcantibus nates contractam certa sepe dicendi patris uolutasse mauseolum, eiusque omni annisu diebus aliquot flagitasse suffragium. Que pristino congressuum statu redintegrato multis inibi annis curationis adepte fuit testimonio.

Altera quoque decennali egritudine confecta, usque adulcerum saniem tam excreuisset late quam ex collo periculosi erumpente deuenit. Tandem aliquantulum fluor ille exsiccatur execrabilis, sed tabescens remanet brachium cum manu eiusdem lateris. Denique sepius insomnis uidit se memorie beati uiri assistere, indeque curatam recedere. Euigilans de ymaginaria quidem salute contristabatur, sed occultiori quadam spe consolabatur. In qua et cum aliis quos illi temporis festiuitas attraxerat ciuitatem ingressa, sociis se ad ecclesiam properantibus nuditatis uerecundia hospitio retinetur sola. O mira et stupenda conditoris iudicia. Multi enim nesciunt et sanissimi diuitiis affluunt, nudi sunt iusticia, et incedunt ornati gemmis et purpura! hec uero paupercula durissimis afflicta cruciatibus cum nudo adam latitat, uerecundius non quod ille per paradysi eiectione, ista per ecclesie merebatur sequestratione, utrique tamen obnoxii morti, ac per hoc pudoris confusioni. Hanc igitur mulierculam paupertate a publicis arcente, gemino misera, tum frustrate spei, tum mendicitatis torquebatur dolore, riuisque lacrimarum uberrimis non nullos quidem eam nouant ad pietatem flectit conpassionis. Uestibus igitur precario uehementia collatis induitur, ad eum cui hactenus inuisu presentabatur frequenti turba deducitur. Super cuius sarcophagum aridam dexteram fulciente offerens manu, miserie sue plena fide fecit sacrificium. Nec diu supplicans tardatur, dum manus cum brachio rediuiuo donata motu restituitur. Item puella confluentem in huiuc locum innumeram multitudinem contemplabatur, que digitis inuoluta contortis extento manus cruciabatur. Hec dum per innumera curaretur, lasciuior aut simplicior rem celans egreditur. In quo modo statim priori occupatur! manca nimio hesitans stupore percellitur. Ocior tamen redit, confitetur quod celauit, mirantibus cunctis sanitatem quam amisit denuo recepit. Gallus quidam pictauiensis .xii. annis claudus ad urbe constantiam longeuus uiator uenit. Hic ut solitum est uice pedis alterius base lignea nequaquam sustentatur, sed baculis ascellas rodentibus tripes ferebatur. Tybia quippe cum pede arefacta, et fere in fistule subtilitatem redacta, totum in poplite humor nocuus concreuit, ac per hoc genu in maximum tumorem excreuit. Sex igitur in urbe moratur et uisis tantis curationum beneficiis, ad spem recuperande salutis animatur. Ecclesiam frequentat, ut sui iam tempore multum in dolore habenti ut ex longinquo uenienti pater sanctus misereatur, supplex postulat. Interea nox sacratissima pentecostes superuenit, in qua excubias circa sepulchrum eius deuotus egit. Uentum est igitur ad matutinorum uigilias, et nouo cruciatu dicta membra iam diu emortua incipiunt torqueri, ita ut iam de repentino dolore magis quam de egressus afficeretur priuatione. Sensus in breui amittitur, ipsa quoque uox adimitur. Hora dicendi cantici Te deum laudamus instabat, et homo uires cum incessu naturali recuperabat. Supplici igitur laude creatori iubilatur, dum spiritus paracliti et ipsa festiuitate et hominis liberatione uniuersos consolatur. Puerum quendam in clero constitutum, sed inmatura paralisi debilitatum, parentes ad hec deferunt patrium. Et quia non de infimis natalibus erant procreati, plures condolentes tam sue quam genitorum conuenerunt oppressioni. Non minima igitur plebe stipati, debilem suum ante uiri sancti memoriam exponunt, seque intra in preco supplicantium mittunt. Quid amplius morer? Fides eorum ex alto respicitur, eger Chunradi meritis attollitur, pontifex summi in ministerio tabernaculi perfectioris honoratur, mirabilis deus in sanctis suis honoratur.

In cenobio quodam sanctimonialium due uirgines diuersis laborabant egritudinum molestiis. una siquidem ex uomitus instantia mensibus octo non retinens alimenta desperabatur, altera paralisi grauissima resoluta periclitabatur. Compertis huius patris inuictum preconiis ab ipsis claustri seris pia spe trahuntur, sed tam morbi quam infirme etatis pudore a publico repelluntur. Nox igitur huic fluctuationi satisfactura prestolatur, in qua naui imposite per media uigilia non longe enim distabant ad urbem perueniunt. Intromisse per fidelis uelut coram uestigiis posite, fide plenissima prosternuntur, pro salute diu sperata preces cum lacrimis a pernoctantibus funduntur. Est autem loco in eodem memorati uiri poculum ligneum non indebita ueneratione hactenus seruatum. unde cum summa auiditate modicum aque gustassent, uis quedam celestis unda prosequitur, que perfectam in eis medicinam operatur. Ad cetum hinc inde laudum uoces tolluntur. ipsa enim quam a clero ciuitatis et ipso leticia prosecuntur, uirgines a sororibus incolomes excipiuntur.

Utorum (?) et aliam ab infantia paraliticam, ibique iam in adulta etate sanatam. Hec potuit inmemor grie (?)!